

DE
VSV HODIERNO
LEGIS XIX. DIGESTORVM

DE VSV ET VSVFRVCTV ET REDITV ETC.

AUCTORITATE

ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS

PRAESIDE

D. IOANNE CHRISTIANO
KNOETZSCHKERO

A. D. XXV. FEBR. A. C. MDCCLXXXIII

H. L. Q. C

DISPVTABIT

DAVID GOTLOB FEVDEL


MARIENBERGENSIS

LIPSIAE

EX OFFICINA KLAVBARTHIA.



iss. jur. civ.
540,10




DE
VSV HODIERNO
LEGIS XIX. DIGESTORVM
DE VSV ET VSVFR. LEG.
EXERCITATIO.

I.

*Lex ipsa Digestorum s. Fragmentum Modestini Icti. Com-
memorantur, qui huius Legis vsum hodiernum in di-
versum traxerunt.*

Modestinus *Lib. sing. de Erematicis L. 19. D. de usu et
usufr. leg. ait:*

*Si alii fundum, alii usufructum eiusdem fundi testator lega-
verit, si eo proposito fecit, ut alter nudam proprietatem haberet, er-*



rore labitur. Nam detracto usufructu, proprietatem eum legare oportet eo modo: Titio fundum detracto usufructu lego, vel Seio eiusdem fundi usufructum heres dato. Quod nisi fecerit, usufructus inter eos communicabitur, quod interdum plus valet scriptura, quam peractum fit.

Quam quidem sententiam utrum usus fori hodierni adprobet, nec ne, recentiores Icti in diuersum trahunt. Maxima enim pars scriptorum forensium, inter quos praecipue nominandi sunt: GROENEVEGIUS *de leg. abrog.* BRUNNEMANNUS *Comment. ad Dig. h. l.* SAM. STRYKIUS *Vsu mod. Pand. L. XXXIII. Tit. 2.* ac nouissime DAV. GE. STRUBENIUS, magnum fori Germanici lumen, *Rechtl. Bedenk. T. V. 110.* omnem legis propositae vim per recentioris iurisprudentiae, ab istis veterum formularum apicibus alienae, praecepta censet esse imminutam, ac praeter BENED. CARPZOVIUM *Iurispr. for. Rom. Sax. Part. III. C. 13. D. 7.* et BERGERVM *Oecon. Iur. L. II. Tit. 4.* (ed. WINCKLER. Not. 9. p. 296.) vix vllum reperies, qui hanc Modestini sententiam in foris Germaniae tueatur.

II.

Fragmenti sensus exponitur.

Species fragmenti haec est: Caius Sempronio *fundum* legat sic, vt alius *vsufructum* eiusdem fundi habeat. Quaeritur,


tur,

tur, vtrum testator sub nomine *fundi* intellexerit nudam proprietatem, an potius proprietatem cum dimidia vsusfructus parte coniunctam: quem quidem, si explicationis gratia nihil adiectum sit, ipso iure proprietati inesse nemo negabit. Respondit Modestinus: contra mentem testatoris, qui clarius loqui debuisset, faciendam esse interpretationem, et vsusfructum inter vtrumque communicandum, ita quidem, vt, cui fundus simpliciter legatus sit, praeterea dimidiam vsusfructus partem, alter vero reliquum, quod in vsufructu sit, consequatur.

III

Sententia Strubenii, qui inprimis ad infringendam in foris Germaniae legis propositae auctoritatem disputauit, refutatur.

Ex iis vero, quae pro infirmanda legis nostrae in foro hodierno auctoritate ab Ictis, qui hilariore nominis fama in Germaniae vicinarumque regionum tribunalibus celebrantur, prolatae sunt, rationibus, cum nulla videatur esse grauior ea, qua STRUBENIVS loco laud. vsus est, eius potissimum sententiam examinare, ac, quoad eius fieri possit, refellere conabor. Prouocat vir subacti iudicii ad indolem legatorum antiquam ex solo iure formulario verborumque sollemnitate aestimandam, quae neglecta, quaecunque essent vltima volun-



tate relicta, pro non scriptis fuerint habita. Qualis formula, quum etiam a Modestino in nostro capite sit proposita, omne vero ius Romanorum formularium dudum exoleuerit, et magis ad voluntatem testatoris, quam ad verba hodie respiciatur, nec hac lege in decidenda, si qua obuenerit controuersia testamentaria, vtendum esse arbitratur.

Ad quae quidem singulatim respondere necesse erit. Ac primum nego, verba illa, quae ICtus adiecit: *Nam detracto usufructu proprietatem eum legare oportet eo modo: Titio fundum detracto usufructu lego, vel Seio eiusdem fundi usufructum heres dato*, receptam formulam fuisse, cui in hoc legati genere testatores fuerint adstricti; siquidem nihil aliud subesse videtur, quam, vt ex inscriptione patet, *ἐύρυνα* quoddam in fauorem legatariorum testatori a Modestino diligenter commendatum, cuius plura adhuc in Digestis, in primis autem in Modestini fragmentis extare exempla inter omnes constat. Ita certe interpretanda esse haec verba docet HENR. BRENNMANNVS *Diatr. de Eudem. e. IX.* cuius auctoritatem lubentissime sequimur.

Deinde vero, quod adtinet ad ius formularium Romanorum, quod ad infringendam in foris nostris huius legis auctoritatem ad partes vocat STRVBENIUS, et quo praecipue legata,


gata,

gata, eorumque quatuor genera antiqua a fideicommissis discrepabant, concedendum mihi est discrimen inter notionem legatorum antiquiorem, et notionem eorundem recentiorem, quum non ignorem, Iustinianum *L. 2. C. commun. de legat.* ^{a)} et alibi iussisse, se vnam eandemque legatis et fideicommissis naturam esse velle, et quod vni generi desit, ex altero suppleri. Sed nec fugit me, non ita absolute et per omnia legata fideicommissis fuisse aequata, quin etiam nunc aliquando ingens discrimen intercedat, quod e multis Pandectarum locis liquido perspicitur. Adeo enim legata suis illis subtilitatibus adligata adsuetaque sunt, vt, licet Iustinianus iubeat, non amplius ea stricte verbis concludi, sed vt fideicommissa ex voluntate magis testatorum descendere. *§. 3. Inst. de legat.* ^{b)} vt, inquam, nihilo

a) „— Sit igitur ex omni parte verborum non inefficax voluntas, secundum verba legantis, vel fideicommittentis: et omnia, quae naturaliter insunt legatis, et fideicommissis inhaerere intelligantur: et contra quidquid fideicommittitur, hoc intelligatur esse legatum, et si quid tale est, quod non habet naturam legatorum, hoc ei ex fideicommissis accommodetur: et sit omnibus perfectus euentus. — Vbi autem aliquid contrarium in legatis et fideicommissis eueniet, hoc fideicommissis quasi

humaniori aggregetur, et secundum eius dirimatur naturam. — Et si specialiter legati tantum faciat testator mentionem, hoc et legatum et fideicommissum intelligatur, et si fidei heredis vel legatarii aliquid committatur, hoc et legatum esse videatur. Nos enim non verbis, sed ipsis rebus leges imponimus.“

b) „Cum enim antiquitatem inuenimus, legata quidem stricte concludentem; fideicommissis autem, quae ex voluntate magi



nihilo minus in iis iure nouo interdum plus valeat scriptura, quam peractum est, i. e. quam voluntas testatoris; id quod maxime etiam ex eo, quod hoc fragmentum in Digesta est relatam, videtur esse colligendum.

IV.

Laudantur argumenta, quibus vsus dicti fragmenti hodiernus approbatur.

Iam, ne nimis longus sim in excutiendis rationibus a STRVBENIO, vt Modestino auctoritatem abiudicaret, in medium prolatis, progredior ad argumenta, quibus vsus hodiernus legis nostrae demonstratur. Multum vero ad eum probandum facit ipsa verbi, *fundus*, notio recte conflictata. Vbi enim *fundum* dicimus, intelligimus eum talem, qualis vulgo naturaliter et ex instituto ciuili est. Cuius quidem verbi sensum nemo feliciter adsecutus est, ANT. FABRO *de Errorib. Pragmaticorum Dec. LXII. err. 10.* quem ipsum loquentem inducere mihi liceat.

Hic

magis descendebant defunctorum, pinguiorem naturam indulgentem: necessarium esse duximus, omnia legata fideicommissis exaequare, vt nulla sit inter ea differentia; sed quod dicitur legatis,

hoc repleatur ex natura fideicommissorum; et si quid amplius est in legatis, per hoc crescat fideicommissorum natura."

Hic, postquam de aduentitiorum collatione exposuit, sic


scribit :

„Nec duae res considerari possunt in eo fundo, cuius plenam proprietatem habet filius emancipatus, nuda scilicet proprietas, et usufructus, sed una tantum res est, quae ob eam causam uno nomine appellatur, et vel fundus, vel proprietas simpliciter, aut, si ita voles, plena proprietas; quamquam neque adiectio haec necessaria est. Proprietatem enim simpliciter quum dicimus, plenam intelligimus; estque necessaria tunc tantum adiectio aliqua, quum eam proprietatem significare volumus, quae sit ab usufructu separata. Tunc enim nudam proprietatem dicere debemus, vel, quod idem est, proprietatem detracto usufructu, ubi hanc ob causam respondet Modestinus d. L. 19. Si alii fundum cet.

Mox ita pergit: Quod responsum etsi pterisque mirum et durum videtur, mihi tamen non videtur. Nam licet in testatoris potestate sit facere, ut unus ex legatariis non habeat nisi nudam proprietatem, alius fere totum habeat eiusdem fundi usufructum, non aequè tamen in ipsius arbitrio et potestate est facere, ut fundi appellatione plena proprietas non significetur.“

B

V.



*Confirmatur opinio eorum, qui usum huius legis hodie-
rum tuentur, partim ex argumentis antecedentibus,
partim ex ipsa secundum Modestini sententiam in fo-
ro nostro facta pronuntiatione.*

Ex his omnibus conficitur, eum, qui fundum simpliciter legavit, necessario omnia legasse intelligi, quae fundo cohaerent, eique naturaliter insunt, i. e. proprietatem una cum usufructu. Quod si ille postea eiusdem fundi usufructum legat, priori legatario partem usufructus ademisse censetur. Atque ideo concurrente utroque legatario in usufructu, tamquam si re coniuncti sint, concursu suo hunc usufructum in duas partes scindunt. §. 8. *Inst. de legatis* c). Et quum usus loquendi hodiernus fundi notioni, quam per *Guth* vel *Grundstück* populares nostri exprimunt, nihil detraxerit, ius autem Romanorum testamentarium citra omnem dubitationem apud nos receptum sit; quidni et in hac controuersia decidenda auctoritatem eiusdem iuris sequamur? Fuisse autem in tali lite ex sententia

c). „Si eadem res duobus legata sit, *car: Titio et Seio hominem Strichum do, lego: disiunctim ita: Titio hominem Strichum do, lego: Seio hominem Strichum do, lego.*“
sive coniunctim, sive disiunctim: si ambo perueniant ad legatum, scinditur inter eos legatum: si alter deficiat, —
totum ad collegatarium pertinet. Coniunctim autem legatur, veluti si quis di-



rentia Modestini in foro nostro pronunciatum, rei iudicatae exemplo comprobavit CARPZOVIVS loco supra comm. adeo, ut usufructu omnium bonorum cuidam relicto, alii autem certa facultatum specie legata, legatarius tamen plenam proprietatem haud consequeretur, sed usufructum legatae speciei cum fructuario omnium bonorum communicare teneretur.

VIRO

VIR O
NOBILISSIMO ATQUE HUMANISSIMO
DAVIDI GOTLOB FEVDEL
S. D.
D. IOANNES CHRISTIANVS KNOETZSCHKER

Quem nuper iuris alicuius speciminis more academico ad disputandum proponendi mecum communicasti animum, quo, virium TVARVM periculo facto, fautoribus et patronis studiorum redderes rationes, is non potuit non mihi admodum placere. Quae de causa TIBI, cursu omnis legum scientiae nondum emenso, aliquod iuris ciuilis caput suasi interpretandum, idque propterea TVIS studiis accommodatissimum fore existimaui, cum nunquam non prima institutionis elementa e Iure Romano repetere soleamus. Unde factum est, ut, tali rei nos non ingrati superfluaque operam daturos esse arbitantes, de cuiusdam, quod Pandectae continetur, fragmenti Modestini usu hodierno exponeremus. Iam vero confido, TE, si eam, quam studiorum ingressus es, viam, etiam posthac sis persecuturus, non solum Iustitiae doctrinis esse satis imbuturum, sed de re etiam publica clare olim meriturum. Postremo, faxit Deus Optumus, qui hucusque rebus TVIS benigne praesuit, ut et in posterum cuncta TIBI fausta ac felicia eueniant. Ita, VIR NOBILISSIME, vale!

Scripsi in hac Vniuersitate Litterarum Lipsiensi a. d. XXI.
Februarii A. R. S. c1813 cclxxxiii.

VIR

Dis. jur. civ. 546, 10.